



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio VII. Traditur secunda regula ad cognoscendum, cuinam parti faveat possessio, & pro qua stet præsumptio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

nos etiam infra. Similiter possessio stat pro lege, & obligat, quando est dubium circa acceptationem legis: an sit usu, vel consuetudine abrogata: an sit sublata: aut in ea sit dispensatum; siquidem in omnibus his casibus, cum constet de lege, pro lege stat præsumptio, & possessio; sicque alleganti eam non esse usu receptam, sublatam, abrogatam, aut dispensatam, incumbit onus probandi, ut ab ejus obligatione eximatur. Ita *P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 10. n. 35. contra P. Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 19. q. 12. P. Sal. 1. 2. tr. 8. d. unica, sect. 18. n. 169. P. Pal. d. 3. de Conscient. punct. 7. n. 4. & alios, quorum sententia est valde probabilis.*

133. Deducitur quintò, qui certus est de lege, dubitat tamen, utrum consuetudo contra legem sit jam legitime introducta, posse credere Doctore excellenti id affirmanti; hoc enim est sufficiens fundamentum operandi prudenter. Ita *P. Soar. de legib. lib. 7. cap. 11. n. 8. P. Sal. de legib. d. 19. sect. 19. n. 108. P. Grand. in 1. 2. contr. 7. tr. 3. p. 2. d. 16. sect. 1. n. 12. & cum illis, Dian. p. 6. tr. 5. Resol. 28. quitamen id asserunt intelligendum esse pro foro saltem interno, nam pro foro externo contrarium esse decisum per sacram Rotam asserit Dian. cit. ibid. & Resol. 29. addit in materia præcedenti attendendam esse consuetudinem, etiamsi consuetudo juri repugnet juxta varias decisiones, quas adducit ex sacra Rota.*

134. Deducitur sextò, in dubio utrum consuetudo servetur ex devotione, an ex obligatione, pro primo standum esse. Ita *P. Soar. de legib. lib. 7. cap. 15. & cum eo Dian. p. 4. tract. 3. Resol. 58. asserentes in dubio de obligatione præcepti pro consuetudinem introducta, ac cæteris paribus, potius esse inclinandum in eam partem, quod consuetudo sit devotionis, & honestatis, quam obligationis; siquidem ex regula generali nemo in dubio præsumitur velle obligari, neque expedit multiplicari præcepta, ubi moraliter non sunt certa.*

135. Deducitur septimò, in dubio, an sit obligatio parendi præcepto superioris, obediendum illi esse, si superior est in possessione præcipiendi, licet subditus dubitet de legitima prælati potestate; aut de honestate rei præceptæ; aut de excessu jurisdictionis; siquidem cum sit in possessione prælationis, sicque præcipiendi, non potest ob solum dubium spoliari sua possessione, quamdiu contrarium non probatur. Ita *P. Sanch. lib. 6. decal. cap. 3. n. 3. & 29. P. Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 19. q. 9. P. Valent. tom. 2. d. 2. q. 14. punct. 4. q. 4. P. Soar. tom. 4. de Relig. lib. 4. cap. 15. n. 20. P. Mol. tom. 1. tr. 2. d. 113. conclus. 3. & cum illis, Dian. p. 4. tr. 3. Resol. 8. & 9. contra P. Vasq. 1. 2. d. 62. cap. 6. sine, & d. 66. cap. 6. n. 51. P. Sal. 1. 2. tr. 8. d. unica, sect. 8. n. 78. Aragon. 2. 2. q. 69. art. 2. P. Henricq. lib. 14. cap. 3. num. 3. P. Less. lib. 2. de just. cap. 4. dub. 9. n. 77. quorum sententia est etiam probabilis, quatenus dicunt, subditum tunc teneri obedire prælato, quando hic habet jus certum præcipiendi; hoc autem non habet, quando dubium est de illius potestate, & de honestate rei præceptæ; maxime si ipse etiam prælatus dubitet, ut tenent *P. Henricq. lib. 12. cap. 6. n. 5. P. Pal. d. 9. de Conscient. punct. 13. n. 13. & cum illis, Dian. p. 4. tr. 3. Resol. 9.**

136. Deducitur octavò, non posse admitti ad ordines, aut ad professionem, qui dubitat, an expleverit tempus requisitum; siquidem semper extat præceptum negativum non suscipiendi ordines, & non emittendi professionem ante ætatem requisitam, quod præceptum cum jam extiterit ante dubium, sitque certum, pro illo stat possessio; neque lex

certa debet vinci à jure dubio. Ita *P. Sanch. lib. 2. de Matr. d. 41. n. 38. P. Laym. tom. 1. tr. 1. cap. 5. §. 4. n. 35. Joan. Sanch. d. 43. n. 7. Dian. p. 4. tract. 3. Resol. 21. qui etiam p. 1. tr. 9. Resol. 20. docet, non excusari à jejunio senes sexagenarios etiam post impletum sexagesimum annum, si sint viribus polentes; ad hoc enim ut excusentur, attendendum esse robur corporis, & complexionem naturæ. Ita *P. Laym. lib. 4. tr. 8. cap. 3. n. 1. & 2. P. Tanner. 2. d. 3. q. 3. dub. 5. n. 101. P. Less. lib. 4. de just. cap. 2. n. 41. P. Filiu. tom. 2. tr. 27. cap. 6. n. 112. P. Fagun. in præcept. Eccles. tract. 4. lib. 1. cap. 8. n. 10. & 11. P. Reginal. tom. 1. lib. 4. cap. 17. sect. 1. n. 209. P. Valent. tom. 3. d. 9. q. 3. punct. 5. P. Azor. tom. 1. lib. 7. cap. 17. q. 4. & alii, qui omnes idem debent à fortiori dicere de eo, qui dubitat, an expleverit sexagesimum annum; siquidem tunc, & quamdiu viribus pollent, semper possessio stat pro præcepto.**

Quamvis idem *Diana* loco citato asserat, non esse minus probabilem sententiã, quæ sexagenarios, licet viribus polentes, certò, & infallibiliter excusat à lege jejunii, pro qua citat etiam *Ulamas sum. p. 3. cap. 5. §. 20.* ubi asserit, quod interrogatus de hac re *S. Pius V.* viva voce ita responderit. *Molfes. sum. tom. 1. tr. 10. cap. 4. n. 37. Portel. in dub. regul. p. 1. verb. Jejunium, Joseph. Angl. in 4. p. 2. q. 6. dub. 6. P. Sanch. lib. 7. de Matr. d. 32. n. 17.* ubi late de hac re, tam de viris sexagenariis, quam de feminis quinquagenariis, quatenus dicunt hanc ætatem esse adeò debilem ex se, ut facili ex causa ab illo putato robore deturbetur, nisi cibi fomento sibi subveniat; quam natura in ea ætate languescat, & ad interitum properet; hanc tamen sententiã dicit *P. Fagun. cit.* parum tutam, sed immeritò, cum pro illa stent Doctores citati, & plures alii apud *P. Sanch. cit.*

SECTIO VII.

Traditur secunda regula ad cognoscendum, cuinam parti faveat possessio, & pro qua stet præsumptio.

SECUNDA regula, quam etiam tradit *P. Arriaga de Actib. human. d. 25. n. 58.* ad cognoscendum pro qua parte stet præsumptio, & cuinam parti faveat possessio, est, quando quis dubitat, an detur lex, sive præceptum: sive an intraverit jam obligationem legis, aut præcepti; tunc enim ad nihil tenetur. Probatur, quia quamdiu datur dubium de lege, aut præcepto, lex non est sufficienter promulgata; sed lex, quamdiu non est sufficienter promulgata, neminem obligat; ergo &c. Confirmatur, quia in dubio de lege aut præcepto possessio est pro libertate; siquidem quilibet suarum actionum est dominus, & liberè potest in illis procedere, quamdiu se ligatum non agnoscit; sed què post factam diligentiam, dubius est de lege, aut præcepto, non se agnoscit ligatum; ergo &c. Ita tenent *P. Henricq. lib. 8. de Eucharist. cap. 45. n. 3. lit. P. P. Soar. tom. 5. in 3. p. d. 40. sect. 5. num. 15. P. Sanch. lib. 2. de Matr. d. 41. n. 36. & lib. 1. decal. cap. 10. n. 32. P. Sa. verb. dubium, n. 2. P. Pal. d. 30. de Conscient. punct. 7. n. 1. contra P. Vasq. 1. 2. d. 65. cap. 3. & d. 66. cap. 1. cui ex parte consentit *P. Sal. 1. 2. tr. 8. d. unica, sect. 25. n. 258.**

Hinc addit *P. Sanch. cit. & P. Pal. cit. idem dicen-*

discendum in dubio de voto, quando scilicet quis dubitat, an votum emisit; siquidem votum est lex quædam privata, qua vovens se ligat; non autem quis lege ligatur, quamdiu de lege dubitat. Hoc idem, inquit dicendum, quoties dubium fuerit, an lex, aut præceptum extendatur ad aliquem casum; siquidem tunc perinde est, ac dubitare de lege, an sit imposita. Imò *P. Sal. cit. n. 259.* id extendit ad casum, in quo quis certus de lege, dubitat, an ratione necessitatis, aut alterius circumstantiæ occurrentis ab illa eximatur, quod negat cum multis *P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 10. an. 34. & nos cum eodem, & aliis supra negavimus n. 131.*

140. Dices: Certus de lege, dubius tamen de iustitiâ legis, tenetur servare legem; ergo etiam sic tenebitur, qui dubitat de existentia legis. Probatur consequentia, antecedens enim est commune, quia iustitia legis est de essentia legis; lex enim iniusta non est lex; sed qui dubitat de essentia legis, dubitat etiam de illius existentia; siquidem existentia, & essentia non distinguuntur; ergo si dubius de iustitiâ, sive essentia legis, tenetur illam servare; etiam ita tenebitur, qui dubitat de illius existentia, cum non detur major ratio.

141. Respondeo negando primam consequentiam; ad minorem autem probationis dicimus, qui dubitat de iustitiâ, sive de essentia legis, etiam dubitare de illius existentia vera, nam si non datur essentia, etiam non datur existentia: non tamen dubitare tunc hominem de aliqua essentia, consequenterque de aliqua existentia, saltem apparenti, cum sciat legem prolatam, & promulgatam esse, quod sufficit, ut obliget, etiam si illius essentia, sive iustitiâ sit dubia; siquidem tunc habet pro se præsumptionem juris, actus enim præsumitur factus eo modo, quo de iure fieri debuit, ut ex multis textibus probat *Surd. Consil. 460. n. 5.* ergo cum lex posset fieri cum iustitiâ, ita in dubio fieri præsumendum est, sicque obligat: at verò quando quis dubitat, an sit lex, hæc non habet tunc pro se huiusmodi præsumptionem; consequenter non obligat.

142. Imò hoc idem dicendum afferunt *P. Henric. lib. 8. de Euchar. cap. 45. n. 3. lit. P. & P. Sanch. lib. 2. de Matr. d. 41. num. 36.* de eo, qui post prudentem inquisitionem dubitaret, an talis res comprehenderetur sub legis, aut præcepti verbis, extendaturque præceptum, aut lex ad talem casum; siquidem tunc ut iam diximus, perinde est, ac dubitare, utrum de hac re lata sit lex, aut præceptum impositum; quando autem est dubium de lege, aut præcepto, non obligant, quia tunc possessio, & præsumptio stat pro libertate. Hinc est, quod si quis voveret, aut ei præcipere non copulari alicui feminæ, dubitaret tamen, an votum, vel præceptum extenderetur etiam ad copulam maritalem, posset nupte; siquidem in hoc eventu, sicut & in aliis, de quibus infra, tenetur vovens ad id, quod minus est, ut colligitur ex cap. *Ex parte de censib. Ubi Gloss. fin.* docet, fieri pro vovente bonam interpretationem; præsumique, ut ait *Abb. num. 3. & 4.* voventem se minus gravare, quam possit. Ita *P. Sanch. lib. 2. de Matr. d. 41. n. 33.*

143. Inferes: Ergo quando lex est certa, dubium tamen est, an ratione alicujus necessitatis, aut alterius circumstantiæ ab illa excusetur, non te obligabit, quod supra negavimus. Respondeo negando illationem; diversa ratio est, quia dubitare, an lex extendatur ad rem aliquam, vel casum, idem est, ac dubitare, an sit imposita lex de tali re, aut in tali casu; quando autem dubitatur de existentia legis, lex non obligat, ut diximus: at verò in casu pro-

posito non dubitatur de lege, cum supponatur certa, sed de illius excusatione; quando autem lex est certa, possidet, & obligat.

144. Instabis: Etiam est dubium, an lex extendatur ad illum casum; ergo est etiam dubium, an sit lex circa illum casum necessitatis, aut alterius circumstantiæ; sicque non obligabit. Respondeo negando antecedens; solum enim procedimus in suppositione quod lex comprehendat illum casum necessitatis, vel alterius circumstantiæ, & dubium sit; an ex observatione talis legis mihi contingat aliquod damnum, tunc enim, cum lex sit certa, incerta verò excusatio, nempe periculum damni, lex manet in excusatione, & obligat; licet non ita obliget, quando dubitatur, an extendatur ad casum non comprehensum, ut diximus.

Hinc deducitur primò, qui certus est de lege, vel præcepto jejunii, dubitat tamen, an excusetur à jejuniis ratione alicujus necessitatis, aut circumstantiæ, quia scilicet sibi nocebit, teneri jejunare, aut dispensationem petere; siquidem possessio stat pro præcepto, cum sit certum; dubium autem solum sit de excusatione. Ita *Medin. 1. 2. q. 96. art. 6. P. Sanch. lib. 2. de Matr. d. 41. num. 37. P. Soar. lib. 6. de Legib. cap. 8. n. 7. Joan. Sanch. d. 43. n. 8. Dian. p. 4. tr. 3. Resol. 22. Villalob. tom. 1. sum. tr. 1. diff. 21. n. 4. & alii.*

145. Deducitur secundò, si quis factâ diligentia, dubius adhuc est, an expleverit vigesimum primum annum, non teneri ad jejunium; siquidem tunc possessio non stat pro præcepto, sed pro libertate. Ita *P. Sanch. lib. 2. de Matr. d. 41. n. 38. P. Pal. d. 3. de Conscient. punct. 8. n. 7. P. Laym. lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4. 33. P. Fagun. in 4. præcept. lib. 1. cap. 8. n. 7. Dian. p. 4. tract. 3. Resol. 21. P. Soar. d. 40. de Cens. sect. 5. n. 15. Joan. Sanch. d. 43. n. 6. & alii.* Similiter, si quis adhibita diligentia, adhuc dubius sit, an hodie sit dies jejunii, aut dies festus, non tenetur jejunare; neque Missam audire; neque ab operibus servilibus abstinere; siquidem in his casibus possessio stat pro libertate, ut rectè docet *P. Soar. cit. & cum eo Dian. cit.*

146. Deducitur tertio, qui dubitat, an proximus extremè indigeat, teneri ex charitate veritatem inquirere; alioqui omittendo exponet se periculo peccandi; sicut se exponeret, qui dubitans an sit dies festus, vel jejunii, veritatem non inquireret, quia *Nollet intelligere; ut bene ageret. P. Sal. 35.* Si tamen adhibita diligentia, sibi confiter, necessitatem esse extremam, imò & gravem, teneri eleemosynam erogare: aliter tamen, si adhuc dubitet; siquidem tunc possessio stat pro libertate, non autem pro præcepto erogandi eleemosynam. Ita *Joan. Sanch. d. 43. n. 2. Dian. p. 4. tr. 3. Resol. 34.* Idem dicendum de eo, qui certus est, quod famam alterius læserit, aut illius bona furripuerit, dubitat tamen, an integrè satisfecerit, teneri enim iterum satisfacere, usque dum sibi constet de plena satisfactione; siquidem possessio stat pro præcepto restituendi; certus enim de damno illato, & dubius de satisfactione, non constituit æqualitatem. Ita *Joan. Sanch. d. 43. n. 21.*

147. Deducitur quarto, parentibus in gravi necessitate relicti, integrum non esse filiis ad religionem transire, etiam si votum emiserint ingrediendi religionem, ut infra dicemus cum *P. Sanch. lib. 4. decal. cap. 20. n. 3. & 8.* tum quia in hoc eventu possessio stat pro præcepto subveniendi parentibus ita egenis, & non pro libertate, aut voto: tum quia ita præcepit Christus Dominus, quatenus *Mat. 5.* acriter Phariseos increpavit, quod eroganda parentibus

bus egenis suaderent converti in cultum divinum: tum etiam qui Concil. Gangrense in cap. 1. dist. 30. approbatum in cap. de libellis dist. 30. anathematizat filios deserentes parentes necessitate pressos, occasione Divini cultus.

149. Si tamen, omnibus perspectis, dubium sit, an parentum necessitas sit ita gravis, integrum erit filio religionem ingredi; siquidem tunc præceptum est dubium; in dubio autem præcepti possessio stat pro libertate filiorum. Ita *P. Sanch. lib. 4. decal. cap. 20. num. 6. & cum eo Diana p. 4. tract. 3. resol. 57.* qui addunt, idem similiter dicendum, quando utrimque fuerint rationes ita probabiles, ut merito dici possit utraque pars optabilis; siquidem tunc poterit filius utramvis partem sequi, etiam minus probabilem, prout supra diximus in aliis rebus, & materiis probabilibus.

150. Dices 1. *Matt. 10. & Luc. 14.* dicitur, non posse esse Christi discipulum, qui amore ipsius parentes non odit. Et *Matt. 8. & Luc. 9.* adolescenti patrem sepelire volenti dixit Christus Dominus, ut patre deserto, ipsum sequeretur. Et *D. Hieron. Epist. ad Heliodorum* ait, per calcatum patrem pergendum, & summum pietatis esse, in hac re crudelem esse; ergo nunquam possessio stare potest pro hujusmodi præcepto. Respondeo negando consequentiam; omnia enim testimonia adducta intelliguntur, patre non presso tantâ inopiâ; tunc enim injuste progressum filii spiritualem impediret, ac proinde pro filii libertate staret possessio.

151. Dices 2. Quicumque tenetur animæ suæ bonum præferre corporali parentum bono: præsertim cum utilitas ingressus religionis sit certa, & utilitas parentum ex non ingressu sit dubia; sed utilitas parentum dubia anteferenda non est utilitati propriæ certæ spirituali; ergo &c. Respondeo majorem esse veram, quando cætera sunt paria; non autem ita sunt paria in proposito eventu, in quo ingressus religionis est sub solo consilio: non ingressus verò ut parenti ita indigenti subveniatur, est sub præcepto, sicque hoc præferendum est. Ita *D. Thom. quodlib. 3. art. 16. & 2. 2. quest. ult. art. 6. & q. 101. art. 4. ad 4. & ibi Caiet. P. Azor. tomo lib. 12. cap. 1. quest. 8. P. Sanch. lib. 4. decal. cap. 20. num. 3.* cum aliis pluribus, additque hujusmodi ingressum esse culpam lethalem; cum sit transgressio præcepti gravissimi, citatque pro se *Navar. Rodrig. & P. Toler.*

152. Deducitur quintò, qui potest majorem partem officii Divini recitare, teneri ad illam recitandam; non ita tamen ad recitandam minorem, quam potest: tum quia major pars trahit ad se minorem, non tamen è contra: tum quia ita videtur consuetudine receptum, ne infirmi, & debiles, aut aliis impediti scrupulis vexentur: tum etiam quia adhuc tunc possessio stat pro præcepto. Ita *P. Less. lib. 2. de just. cap. 37. n. 54. & P. Azor. lib. 10. cap. 13. quest. 4. & 5. Navar. de orat. cap. 11. num. 15. Rodrig. tomo 1. sum. cap. 144. Garzia 3. part. de Benef. cap. 1. n. 226. P. Pal. tomo 2. d. 2. punct. 6. num. 9. Diana part. 4. tract. 3. resol. 67. & alii.*

153. Attamen *P. Soar. tomo 2. de Relig. lib. 4. cap. 28. à num. 22. P. Valent. d. 6. quest. 2. punct. 10. §. 7. Bonacina d. 1. q. 6. pun. 2. num. 7. & alii* asserunt, (licet strictius) unumquemque teneri recitare eas Horas, quas commodè potest, sive sit major pars officii, sive minor; siquidem, licet præceptum sit unicum, est tamen de materia dividua, habetque plures partes, quarum una ab altera non dependet; sicque obligatio recitandi unam Horam impleri potest, & debet; sic enim qui non potest solvere integrum

debitum, potest autem partem, teneri. Sententiam verò directè oppositam tenent alii (civilitius,) asserentes, qui non potest recitare totum officium, non teneri ad partem; siquidem cum obligatio ad partem non sit distincta ab obligatione ad totum, qui non obligatur ad totum, non obligatur ad partem: alioqui, qui non potest integrum Missam audire, teneretur ad partem: & qui non potest toto die jejunare, teneretur mane, aut vespere jejunium servare.

Hoc tamen dicendum, si dubius sis, an possis majorem partem officii recitare absque gravi salutis damno, te posse, & debere judicio utriusque Medici, corporalis scilicet, & spiritualis conformare; quia peritis in arte credendum est. Ita *P. Soar. cit. cap. 28. num. 21. Bonacina cit. punct. 1. num. 4. P. Pal. cit. num. 10. Diana cit. resol. 67.* Verum si Medicus dubitet de damno sequendo ex recitatione, te esse obligatum tenet *P. Soar. cit. negat tamen Bonacina cit. & probabilis dicit P. Pal. cit. & cum eo Diana cit.* Siquidem periculum illud gravis damni est causa certa, & non dubia; ergo hac stante, non potest præceptum Ecclesiasticum obligare; esset enim obligatio rigorosa, & aliena à suavitate Evangelii. Similiter qui dubitat, an aliquem Psalmum, aut Horam omiserit, non tenetur repetere, si probabilem habeat conjecturam, se dixisse, nempe quia propositum attendendi habuit, quia Horas se incepisse meminit, & librum tenuisse, imò malè faciet repetendo, si timidioris sit conscientia, aperit enim viam scrupulis, sicque prudenter Confessor agat, si ei injungat, ut non repetat. Ita *Diana part. 4. tr. 3. resol. 68.*

Deducitur sextò, qui dubitat, an correctio fraterna profutura sit delinquenti, teneri eam adhibere: tunc enim possidet præceptum: non autem si dubitet, an sit nocitura: tunc enim possidet libertas. Ita *P. Granad. 2. 2. contr. 3. tract. 12. d. 1. n. 6. & cum eo Diana part. 4. tract. 3. resol. 72.* Hoc tamen intelligendum dummodo delinquens non sit in articulo mortis; siquidem tunc, prout supra diximus, & docet *P. Filliuc. tomo 2. tract. 28. cap. 6. num. 135.* adhibenda est correctio, etiamsi timeatur, quod corrigendus deterior decedat. Ita etiam *Diana cit.*

Deducitur septimò, si Petrus v. g. dubitet, an Paulus, cum quo lusit, esset lucraturus, si ipse fraudes non adhibuisset, licet teneatur ad restitutionem rei acceptæ per fraudem adhibitam in ludo, ut omnes fatentur, non ita teneri ad restitutionem rei suæ possessæ, quam Paulo tradidisset, si perdidisset; siquidem tunc possessio stat pro Petro; melior autem est conditio possidentis; neque Paulus in rem, quam lucrari poterat, acquisivit aliquod jus certum, cum æquè dubium sit, quod ipse lucraretur, atque est, quod plus perderet. Ita *P. Sal. tr. de Ludo, dub. 7. n. 5. P. Less. lib. 2. de just. cap. 26. dub. 2. Diana part. 4. tract. 3. resol. 75. P. Filliuc. tomo 2. tract. 37. cap. 7. num. 103.* Addens, quod si ludens dubitet, an aliquid per fraudem lucratus fuerit, tenetur, dubio perseverante, illud restituere; siquidem cum in dubio non possit acquirere, possessio non est pro illo, sed pro alio, qui sub eo dubio perdidit.

Quæres tamen hinc: Utrum in casu dubio detur locus Epikeia? Advertes Epikeiam dici emendationem, sive interpretationem legis, ut quando quis interpretatur, legiflatorem non potuisse, aut noluisse ad aliquem actum, licet sub verbis legis comprehensum, obligare ob aliquas circumstantias occurrentes. Unde si voluntas ex hac interpretatione operatur, dicitur uti Epikeia; ac proinde Epikeia est.

est actus intellectus, & voluntatis, ut docet P. Soar. lib. 6. de Legib. cap. 6. num. 2. & 5. & cum eo P. Pal. d. 3. de conscient. punct. 8. num. 1. Hoc poſito.

158. **Q**uestio præſens est, utrùm in casu dubio, si consuli potest superior, licitum sit uti Epikeiâ, sive interpretatione legis? Negative. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 120. art. 1. in corpore, & ad 3. & quæst. 96. art. 6. ad 2. Caiet. ibid. Medin. C. de Penit. tract. de fejunio, Sor. lib. 1. de Just. quæst. 6. art. 8. §. Tertia, & §. Ad hujus, P. Sanch. lib. 2. de Matrim. d. 41. n. 37. P. Soar. lib. 6. de Legib. cap. 8. num. 10. P. Vasq. de Euchar. d. 219. cap. 4. num. 43. P. Pal. d. 3. de Conscient. punct. 8. num. 2. Joan. Sanchez d. 43. num. 8. Diana part. 4. tract. 3. resol. 23. P. Laym. tomo 1. tr. 4. cap. 19. num. 3. & 4. & alii. Probatur, quia aut dubium est de voluntate, aut de potestate superioris, an scilicet voluerit, vel potuerit obligare; sed in nullo ex his licet uti Epikeiâ; ergo &c. Probatur minor quoad primam partem, quia operari cum conscientiâ dubiâ, quando ipsa deponi potest, est peccatum ob periculum, cui exponitur sic operans; sed quando dubium est, an superior voluerit obligare in tali casu, potest deponi ex ipsius superioris consilio, & declaratione; ergo non licet in tali dubio uti Epikeiâ, sive operari superiore inconsulto.

159. **P**robatur minor quoad secundam partem, quia in dubio de potestate superioris, an scilicet potuerit obligare, quamdiu clarè non constat de ejus impotentia, iniquum & injustum videtur, quod quis interpretetur, non posse obligare, & legem deficere, cum pro lege, & potestate superioris sit possessio; nemo autem potest licitè possessorem suâ possessione spoliare; ergo &c.

160. **U**trùm autem in casu urgenti, in quo superior consuli non potest, possit quis uti Epikeiâ? Affirmant Sylvest. verb. Papa, q. 16. disto 2. sine, & verb. Dispensatio, quæst. 4. Cordub. in qq. lib. 3. quæst. 13. ante regul. 1. P. Henric. lib. 14. de Irregular. cap. 3. num. 3. litt. X. & consentit P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unice, sect. 25. num. 260. Ubi dicit Doctores contrarium opinantes exponendos esse, quando nulla est necessitas operandi cum illo dubio: aut quando dubium est completè practicum, & strictè sumptum; nam contra tale dubium non licet agere; secus autem in dubio speculativo, & incompletè practico; siquidem quando rationabiliter dubito, an superior velit me obligare, possum sequi partem minus tutam, ad vitandam notabilem incommoditatem; sed in prædictis casibus dubito, an superior velit me obligare; ergo rationabiliter possum in partem minus tutam inclinare.

161. **N**ihilominus tenenda est communis sententiâ asserens in prædicto casu servandam esse legem, & non posse uti Epikeiâ. Ita D. Thom. Sor. Medin. P. Vasq. P. Soar. P. Sanch. Joan. Sanch. P. Pal. supra cit. Probatur, quia in tali casu lex est certa; siquidem certè constat, ut supponimus, talem casum comprehendere, & solum est dubium, an legislator voluerit, vel potuerit illum casum comprehendere, & sic me obligare, sed quamdiu non probatur legislatoris impotentia, aut nolitio, pro lege debet stare præsumptio, utpote possidente, quando autem lex possidet, obligat; ergo &c.

162. **U**nde ad Doctores contrarium asserentes dicendum est cum P. Pal. P. Sanch. & aliis cit. intelligendos esse, non de dubio æquilibri, sed de formidine, quando scilicet est probabile iudicium, licet cum formidine, superiorem, aut non potuisse, aut noluisse in tali casu obligare; tunc enim cum hujusmodi iudicium efficiat opinionem, licet minus probabilem, quam cuique integrum est sequi, prout

supra diximus, idèd in prædicto casu dici potest, legem non obligare.

163. **A**dhuc tamen P. Soar. cit. lib. 6. de Legib. cap. 8. num. 12. limitat supradictam doctrinam, ita ut solum procedat, nisi hujusmodi lex alteri legi graviori dubitetur contrariari; siquidem tunc, inquit, licet graviorem legem exequi, omisâ minori; illa enim concurrentia legum est sufficiens ratio deponendi practice conscientiam dubiam, ne homo sit perplexus. Non placet: Primò, quia lex illa, sive præceptum minus, est certum; lex autem, sive præceptum illud majus, est dubium; ergo quamdiu non constat alteri legi superiori, sive graviori contrariari, possessio stat pro lege, sive præcepto certo; ergo hoc obligat, & servandum est.

164. **S**ecundò, quia conjux dubius de morte prioris cõjugis, tenetur præſenti debitum reddere, licet reddidit debiti cõtraria sit tam juri prioris cõjugis, quam temperantiæ, quod est gravius, quam non reddidit debiti, quæ solum contrariatur juri præſentis conjugis; sed idèd sic potest reddere, quia lex temperantiæ, & juris prioris conjugis est dubia; & lex reddendi debitum conjugi petenti, est certa, & possidens; lex autem dubia non potest prævalere adversus legem certam, & possidentem; ergo similiter. Ita P. Pal. d. 3. de Conscient. punct. 8. n. 5.

SECTIO VIII.

Ad quid teneatur dubius de Voto, Juramento, aut Promissione?

165. **D**IFFICULTAS I. Utrùm dubius de Voto, juramento, aut promissione ad eorum impletionem teneatur? Negative. Ita tenent, si factâ diligentia, vinci dubium non potest. Sor. lib. 7. de Just. quæst. 3. art. 2. Grass. lib. 2. decis. cap. 31. fin. P. Henric. lib. 11. de Matrim. cap. 11. num. 5. & lib. 8. de Euchar. cap. 45. n. 3. Roderig. tom. 1. sum. cap. 99. num. 5. P. Sa. verb. Dubium, num. 1. P. Reginal. lib. 18. num. 176. Villalob. tract. de Conscient. diff. 21. P. Sanch. lib. 1. de Matr. d. 9. n. 11. & lib. 2. d. 41. num. 32. & lib. 1. decal. cap. 10. n. 36. & lib. 4. cap. 1. num. 16. P. Soar. tomo 5. in 3. part. d. 40. sect. 5. num. 15. & latius tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 5. num. 7. P. Rebel. de Just. part. 2. lib. 1. quæst. 2. num. 15. P. Pal. d. 3. de Conscient. punct. 9. num. 2. Medin. lib. 1. sum. cap. 14. §. 7. Malder. 1. 2. d. 87. P. Laym. lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4. n. 31. P. Fillu. tomo 2. tract. 21. cap. 4. num. 165. P. Avila de Conf. p. 7. d. 2. dub. 5. conclus. 2. Diana p. 4. tr. 3. resol. 10. P. Fagun. 1. 2. lib. 2. cap. 1. n. 10. & alii.

166. **P**robatur primò, quia in proposito eventu juxta regulas à nobis traditas, nulla est possessio pro voto, juramento, vel promissione, sed tota pro voluntatis libertate; atqui in dubiis melior est conditio possidentis, ut supra diximus, & probavimus in omnibus materiis suffragari, neque tunc necessariò amplectendam esse partem tutiorem; ergo homo sic dubius de voto, juramento, aut promissione, liber manet ab eorum obligatione, dum suam libertatem possidet. Confirmatur primò, quia votum, juramentum, & promissio sunt dubia; ergo iniquum videtur cogi voventem, jurantem, & promittentem ad solutionem certam. Secundò, ex Gloss. in cap. Ex parte, de Censib. ubi ait in dubiis licere sequi, quod libuerit, & videtur loqui de voto, de quo agit ille textus; ergo &c.

167. **P**robatur secundò, quia idem in utroque foro judicandum est, quando externum non nititur fallæ præsump.